Preces Quotianæ ad Usum Custodiæ Cincinnatensis ad St. Joannem Baptistam

PRECES QUOTIDIANÆ

AD USUM

CUSTODIÆ CINCINNATENSIS

AD

ST. JOANNEM BAPTISTAM.



CUM PERMISSU SUPERIORUM.

1883.

INDEX.

ANTIPHONAE ET ORATIONES

post Completorium et alias horas ad libitum dicendæ.

In honorem Immaculatæ Conceptionis B. V. M.

1. *Antiph.* V. Tota pulchra es Maria.

R. Tota pulchra es Maria.

V. Et macula originalis non est in te!

R. Et macula originalis non est in te!

V. Tu gloria Jerusalem

R. Tu lætitia Israel.

V. Tu honorificentia populi nostri.

R. Tu advocata peccatorum.

V. O Maria.

R. O Maria.

V. Virgo prudentissima.

R. Mater clementissima.

V. Ora pro nobis.

R. Intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

V. In conceptione tua, Virgo immaculata fuisti.

R. Ora pro nobis, Patrem, cujus filius peperisti.

Oremus.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus; ut, qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione at te pervenire concedas. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

---

2. Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus

nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta! Domina nostra, advocata nostra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta!

V. In omni tribulatione et angustia nostra.

R. Succurre nobis, beatissima Virgo Maria!

Oremus.

Concede nos famulos tuos quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia et æterna perfrui lætitia.

Per Christum &c.

Amen.

Ad B. P. M. Franciscum.

---

1. Sancte Francisce prospera, veni Pater, accelera ad populum, qui premitur et teritur sub onere, palea, luto, latere: et sepulto Ægyptio sub sabulo, nos libera, carnis extincto vitio.

V. Ora pro nobis, B. Pater noster Francisce:

R. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam B. P. N. Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere et de ejus semper participatione gaudere. Per Christum. Amen.

2. Cœlorum candor splenduit, novum sidus emicuit, sacer Franciscus claruit, cui Seraph apparuit, obsignans eum vulnere, in volis, plantis, latere, dum formam crucis gerere vult corde, ore, opere.

V. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum:

R. Signis redemptionis nostræ.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi P. N. Francisci Passionis tuæ sacra stigmata renovasti; concede propitius, ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus et dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui vivis et regnas &c.

Ad Sanctum Antonium Pad.

Si quæris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri surgunt sani.

Cedunt mare, vincula, membra, resque perditas petunt et accipiunt juvenes et cani.

Pereunt pericula, cessat et necessitas, narrent hi, qui sentiunt, dicant Paduani. Cedunt &c. Gloria Patri &c. Cedunt &c.

V. Ora pro nobis B. Antoni!

R. Ut digni &c.

Oremus.

Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui deprecatio votiva lætificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Chr. Dominum nostrum. Amen.

Ad Sanctum Petrum Alcant.

R. Domine Jesu Christe, cui sanctus Petrus adeo fideliter in vita sua servivit, ut in tempore iracundiæ fieret reconciliatio.

Exaudi propter eum preces nostras, et da nobis salutem animæ, et corporis.

V. Qui famulæ tuæ Theresiæ dixisti: Te semper in Petri nomine petentes exauditurum.

Exaudi. Gloria. Exaudi.

V. Ora pro nobis Beate Petre.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui beatum Petrum Confessorem tuum admirabilis pœnitentiæ, et altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es: concede propitius; ut ejus suffragantibus meritis, carne mortificati cœlestium donorum participes fieri mereamur. Per Chr. Dominum.

Ad Sanctos Ordinis.

Vos Sancti Dei inclyti, qui estis mente lucidi, Franciscum imitati, orate ut intrepidi hic simus semper fervidi, et postmodum beati.

V. Æterna fac cum Sanctis tuis Domine.

R. In gloria numerari.

Oremus.

Concede quæsumus omnipotens Deus: ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum Ordinum nostrorum Beati P. N. Francisci exempla nos provocent; quatenus, quorum memoriam agimus, etiam actus immitemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ANTE PRANDIUM.

Dictis ter Pater et Ave expansis manibus Superior incipit Psalm. De profundis &c. in fine.

V. Requiem æternam.

R. Et lux perp. &c.

V. A porta inferi.

R. Erue Domine animas eorum. &c., &c.

Oremus.

Absolve quæsumus Domine animas famulorum

famularumque tuarum, et omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Hebdomadarius prosequitur ut in Breviario.

POST PRANDIUM.

Recitatis precibus ut in Breviario et dato Signo a Guardiano vel Superiore omnes dicunt seclara voce et espansis manibus sex pater, Ave et Gloria Patri in Ecclesia ad indulgentias lucrandas; deinde Hebdomadarius dicit lingua vernacula orationem sequentem ad Ss. Cor Jesu:

Weihegebet zum hlsten Herzen Jesu.

Auf Anordnung des Custodial-Kapitels täglich nach dem Mittagsessen vor dem Hochwürdigsten Gute zu verrichten.

O liebenswürdiger Erlöser, getrieben von dem Verlangen, Dir die Gefühle meines dankbaren Herzens zu bezeigen und für meine Sünden einigen Ersatz zu leisten, weihe ich mich Deinem heiligsten Herzen ganz und gar und nehme mir vor, mit Hilfe Deiner Gnade, in Zukunft nie mehr zu sündigen.

O heiligstes Herz Jesu, ergieße die Fülle Deiner Segnungen über Deine hl. Kirche, über alle ihre Diener und

Kinder, besonders über unsern Orden und über diese Provinz. Bestärke die Gerechten, bekehre die Sünder, stehe bei den Sterbenden, erlöse die Seelen aus dem Fegfeuer und dehne die süße Herrschaft Deiner Liebe über alle Herzen aus.

R. Amen.

Vater unser.—Gegrüßt seist Du, Maria.
Ich glaube an Gott, den Vater.

V. Herz Jesu brennend vor Liebe zu uns,
R. Entflamme unsere Herzen in Liebe zu Dir.

BENEDICTIO, EXHORTATIO ET MALEDICTIO S. P. N. FRANCISCI.

In qualibet hebbomada bis legitur juxta statuta municipalia regula et testamentum S. P. N. Francisci in lingua latina et vernacula, quibus in eadem lingua a superiore, omnibus se profnnde inclinantibus cum manibus junctis, mox subjungitur:

Benedictio S. P. N. Francisci.

Et quicunque hæc observaverit, in cœlo repleatur benedictione altissimi Patris cœlestis, et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui, cum Sanctissimo Spiritu Paraclito, et omnibus virtutibus cœlorum, et omnibus Sanctis. Et ego frater Franciscus, parvulus vester et servus in Domino, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem in æternum.

R. Amen.

Exhortatio S. P. N. Francisci ad Fratres.

O dilectissimi Fratres, et in æternum benedicti Filii! Audite me, audite vocem Patris vestri. Magna promisimus, majora promissa sunt nobis: servemus hæc, suspiremus ad illa: voluptas brevis, pœna perpetua: modica passio, gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.

R. Amen.

Maledictio ejusdem.

A Te, sanctissime Pater, et a tota cœlesti Curia, et a me paupercula, sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt, quod per sanctos Fratres hujus Ordinis ædificasti, et ædificare non cessas.

R. Amen.

Fratres, dum tempus habemus, operemur bonum. Ad Gal. VI.

Segen unseres Hl. V. Franziskus.

Und wer immer dieses halten wird, der soll im Himmel erfüllt werden mit dem Segen des allerhöchsten himmlischen Vaters, und auf Erden soll er erfüllt werden mit dem Segen seines geliebten Sohnes, mit dem heiligsten Geiste, dem Tröster, und allen Kräften der Himmel, und allen Heiligen. Und ich, Bruder Franziskus, euer Geringster und Diener im Herrn, bestätige euch, soviel ich kann, in- und auswärts diesen allerheiligsten Segen in Ewigkeit.

R. Amen.

Ermahnung unseres Hl. V. Franziskus an die Brüder.

O vielgeliebte Brüder, und ewig gebenedeite Söhne! Höret mich, höret die Stimme eures Vaters. Großes haben wir versprochen, Größeres ist uns versprochen worden. Lasset uns Jenes halten, nach Diesem seufzen: Die Lust ist kurz, die Strafe ist ewig; Gering ist das Leiden, unendlich die Herrlichkeit; Viele sind berufen, Wenige auserwählt, Allen aber wird vergolten werden.

R. Amen.

Fluch desselben gegen die ärgerlich lebenden Brüder.

Von Dir, heiligster Vater! und vom ganzen himmlischen Hofe, und von mir, Armseligen, seien verflucht Alle, die durch ihr schlechtes Beispiel zu Schanden machen und niederreißen, was Du durch heilige Brüder dieses Ordens erbaut hast und zu erbauen nicht aufhörst.

Brüder! Lasset uns Gutes wirken, so lange wir noch Zeit haben. Gal. VI.

PRO EXAMINE VESPERTINO.

Omnibus dato signo cum campanulo in choro vel oratorio congregatis et genuflexis in locis suis, "Superiore intonante," dicunt Antiphon.:

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Facto examine supra 5 minutas dicitur Litania Lauretana in lingua latina modo consueto:

Litania B. Mariæ Virginis.

Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.

Christe, audi nos, Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei Genetrix, ora.

Sancta Virgo virginum, ora.

Mater Christi, ora.

Mater Divinæ gratiæ, ora.

Mater purissima, ora.

Mater castissima, ora.

Mater inviolata, ora.

Mater intemerata, ora.

Mater amabilis, ora.

Mater admirabilis, ora.

Mater creatoris, ora.

Mater salvatoris, ora.

Virgo prudentissima, ora.

Virgo veneranda ora.

Virgo prædicanda, ora.

Virgo potens, ora.

Virgo clemens, ora.

Virgo fidelis, ora.

Speculum justitiæ, ora.

Sedes Sapientiæ, ora.

Causa nostræ lætitiæ, ora.

Vas spirituale, ora.

Vas honorabile, ora

Vas insigne devotionis, ora.

Rosa Mystica, ora.

Turris Davidica, ora.

Turris eburnea, ora.

Domus Aurea, ora.

Fœderis Arca, ora.

Janua cœli, ora.

Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Regina sine labe originali concepta ora.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei. qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe, audi nos, Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison. Ave Maria, (*totum secreto.*)

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, virgo gloriosa et benedicta, domina nostra, advocata nostra, mediatrix nostra; tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos representa.

V. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

R. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus.

Gratiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad

resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

V. Ora pro nobis beatissime Joseph.

R. Ut digni, &c.

Oremus.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

R. Amen.

Finita oratione ad St. Joseph. dicuntur, expansis manibus 5. Pater, Ave et Gloria. Postea prælegantur puncta meditationis pro die sequente et ultimo datur Benedictio Superioris:

Noctem quietam, et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens.

R. Amen.

In Transitu S. P. N. Francisci.

Die 4. Octobris circa occasum solis, qua hora S. P. N. Franciscus evolavit in cælum, vel immediate post Vesperas, convenient Fratres ad Sacellum ipsius S. Patris et ibi majori, qua fieri potest, devotione, et solemnitate, stantes ante ejus aram incipient ab hac Anna:

O Sanctissima Anima, in cujus transitu cœli cives occurrunt, Angelorum chorus exultat, et gloriosa Trinitas invitat, dicens: mane nobiscum in æternum.

Psalmus 141.

Voce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum: * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam: * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me: * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine: * dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi. Gloria. Sicut &c.

Ultimus versus, Educ de custodia, *cani debet etiamsi pulsentur organa, quia Seraphicus Pater, dictis his verbis, expiravit. Post Gloria Patri genuflectitur*, *et recitantur quinque Pater*, *Ave*, *et Gloria*, *et qostea immediate canitur.*

Anna: Salve, Sancte Pater, patriæ lux, forma Minorum, virtutis speculum, recti via, regula morum, carnis ab exilio duc nos ad regna polorum.

V. Franciscus pauper, et humilis cœlum dives ingreditur.

R. Hymnis cœlestibus honoratur.

Oratio.

Deus, qui hodierna die Animæ Beati Patris Nostri Francisci æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius, ut qui ejus migrationis memoriam piis affectibus celebramus, ad ejusdem beatitudinis præmii feliciter pervenire mereamur. Per Dominum nostrum &c.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Benedicamus Domino.
R. Deo gratias.
Post hæc Superior, vel Sacerdos pluviali indutus, benedicit Populum cum Reliquia S. P. N. Francisci, et interim pulsantur organa, et campanæ.

ANTIPHONA ET ORATIO CONTRA LUEM CONTAGIOSAM.

Ex Chronicis Seraphici Ordinis Fratrum Minorum conscriptis per R. P. Franciscum Gonzaga ejusdem Ordinis Generalem, p. 3, de Prov. Portugall. Mon. viii.

Antiphona.

Stella cœli extirpavit, quæ lactavit Dominum, mortis pestem, quam plantavit primus parens hominum. * Ipsa Stella nunc dignetur sidera compescere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis ulcere. * O piissima Stella maris a peste succurre nobis. * Audi nos, Domina; nam Filius tuus nihil negans te honorat. Salva nos, Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

V. Ora pro nobis &c.

Oremus.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui, et dixisti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam: ob amorem illius

stellæ gloriosæ, cujus ubera pretiosa contra venenum nostrorum delictorum, quam dulciter suxisti: præsta auxilium gratiæ tuæ ut ab omni peste, et improviso morte secure liberemur, et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur. Per te, Jesu Christe Rex gloriæ: Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

CAPITULUM CULPARUM.

Dato signo campanulæ omnes ad capitulum obligati ad locum capituli, i. e. refectorium conveniant ibique secundum ordinem ante mensam se persistant, Superior faciet commendationem dicendo:

Venerandi Patres et in Christo dilectissimi Fratres, commendo precibus et sacrificiis nostris universum statum Stæ Romanæ Ecclesiæ, tum ecclesiaticum quam politicum, omnes ecclesiasticos Ordines, præsertim Ordinem nostrum Seraphicum, tam quoad Superiores et Subditos, omnes parentes propinquos ut benefactores vivos et defunctos, specialiter eos qui nostris precibus sunt commendati: Pro quibus commendatis et aliis merito commendandis dicamus preces et suffragia consueta.

Psalmus 66.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam, * in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi po-

puli Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent Gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, et Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, noster, benedicat nos Deus: * et metuant cum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israel: * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam.

Postea officiator dicit Pater noster, quod omnes, profunde inclinati secreto recitant, sese erigentes cum dicitur:

V. Et ne nos inducas in tentationem

R. Sed libera nos a malo.

V. Memento Congregationis tuæ.

R. Quam possedisti ab initio.

V. Oremus pro benefactoribus nostris.

R. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

V. Oremus pro fidelibus defunctis.

R. Requiem æternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu Tuo.

Oremus.

Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis secura tibi serviat libertate.

Excita quæsumus Domine in nobis spiritum, cui B. P. Franciscus Confessor tuus servivit, ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis; te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis Tuis clementia omnium delictorum tuorum veniam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dicto secreto Pater noster cum profunda corporis inclinatione. Superior dicit:

Deus det nobis suam pacem. R. Amen.

Deinde agnoscantur culpæ.

Imposita pœnitentia et finita admonitione Superior solvit capitulum dicendo:

Cæterum ambulemus in pace et charitate.

PRECES CAPITULARES.

Quæ instante Capitulo Custodiali et intermedio dicuntur quotidie per tempus a præside Capituli præfinitum in Conventibus ante Sacrosancta *post Laudes et Completorium, in Residentiis vero post utramque mensam peractis gratiis et precibus in Ecclesia.*

Omnibus genuflexis recitatur Hymnus:

Hymnus.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia.
Quæ te creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

(*Conclusio per annum.*)

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio.
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

(*Conclusio temp. Pash.*)

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit. ac Paraclito,
In sæculorum sæcula.
Amen.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

V. In Conceptione tua, Virgo Immaculata fuisti.

R. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

V. Ora pro nobis, B. Joannes Baptista:

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

V. Signasti, Domine, servum tuum, Franciscum.

R. Signis redemptionis nostræ.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere: et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus; ut qui ex morte ejusdem Filii sui prævisa, eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Patris nostri Francisci passionis tuæ sacra Stigmata renovasti: concede propitius; ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus, et dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Per Dom. N. J. C.

BENEDICTIO PAPALIS ET ABSOLUTIO GENERALIS.

Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda juxta formulam a Benedicto XIV. in constitutione, Exemplis Prædecessorum, approbatum.

Admonita nempe populo de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die quo visitanda est Ecclesia de hora denique, qua datur Pontificia Benedictio postquam statutis die et hora populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur Litteræ Apostolicæ ad id obtentæ et vulgari idiomate explicentur, populum ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone, excitando: Deinde sacerdos stola et superpelliceo indutus ante Altare genuflexus: sequentibus verbis Dei opem imploret:

V. Adjutorium Nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

V. Salvum fac populum tuum Domine.

R. Et benedic hæreditati tuæ.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Deinde stans sequentem recitat orationem.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de Sancto et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentes, tuamque benedictionem præstolantis et gratiam clementer exaudi; dextram tuam super eum benignus extende ac plentitudinem divinæ benedic-

nis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Postquam accedat ad Altare et stans in cornu Epistotæ unico signo Crucis benedicat, proferens alto voce hæc verba:

Benedicat Vos Omnipotens Deus, † Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

Formula Absolutionis Generalis pro Regularibus cujuscunque Ordinis hoc privilegio fruentibus.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie, eleison.

Pater Noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Ostende nobis Domine, misericordiam Tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper parcere: suspice deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi quæsumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi par-

ce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias. Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Completis precibus ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor addito nomine proprii Fundatoris. Deinde sacerdos dicit: Misereatur vestri *&c.* Indulgentiam, *absolutio &c. Postea subjungit:*

Dominus Noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ Passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini, nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, nec non sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis.

Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulæ, constitutionum, ordinationum et admonitionum majorum nostrorum, ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus jam confessi estis: In nomine Patris †

et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Neue Formel der Generalabsolution.

Quo universi VII. Julii, 1882, pro Tertiariis Sæcularibus.

Antiph. Intret Oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti Sanguine tuo pretioso, ne in æternum irascaris nobis.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater Noster.

V. Et ne nos inducas, &c.

R. Sed libera, &c.

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

V. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Nihil proficiat inimicus in nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

V. Domine exaudi, orationem meam.

R. Et clamor ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere; suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Do-

mine, misericordiom tuam clementer ostende; ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

Dicto deinde: Confiteor, *&c.* Misereatur, *&c.* Indulgentiam, *&c.* *Sacerdos prosequitur:*

Dominus noster Jesus Christus, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam æternam, et vivatis in sæcula sæculorum.

Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini Nostri Jesu Christi; precibus et meritis Beatissimæ semper Virginis Mariæ, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris Nostri Francisci et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine † Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Amen.

Si hæc Indulgentia immediate post Sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis Dominus Noster Jesus Christus &c., *et ita prosequatur, usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

ORATIONES

pro gratiarum actione, de S. S. Sacramento, et in aspersione aquae benedictae.

Pro gratiarum actione.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oremus.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas. Per Christum &c.

In benedictione cum Sanctissimo Sacramento.

V. Panem de cœlo præstitisti eis.

R. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti; tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

In aspersione aquæ benedictæ.

Antiph. Asperges me &c.

Temp. pasch. Vidi aquam &c.

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. (Alleluia.)

R. Et salutare tuum da nobis. (Alleluia.)

V. Domine, exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

SUFFRAGIA DEFUNCTORUM.

Pro defunctis, quorum schedæ mortuariæ post mensam lectæ fuerint, in choro dici possunt suffragia sequenti modo: Superior incipit De profundis: *in fine adjungitur ad officiatore:*

Requiem æternam dona ei Domine, &c.

V. A porta inferi.

R. Erue, &c.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

V. Domine exaudi, orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Et dicitur una ex sequentibus orationibus.

Pro Defuncto Sacerdote.

Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. (Fratrem nostrum) sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus; ut eorum quoque perpetuo aggregetur consor-

tio. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Pro Defuncto Clerico vel Laico.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui N. (Fratris nostri,) quam de hac sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Pro Defuncta.

Quæsumus, Domine pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ N. et a contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restitue. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

V. Requiem æternam dona ei Domine.

R. Et lux, &c.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

Pro Defunctis post Angelus Domini.

Psalm 129. De Profundis, &c.

V. A porta inferi.

R. Erue animas eorum!

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Domine exaudi.

R. Et clamor.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremns.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum ut indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

Amen.